

nica olim potissimum à Principibus tentata aut suspensa...

XXXVI. Afferit quoque Fevretius loco allegato n. 9. quod cum abusus semper attendat interesse publicum...

XXXVII. Recepta quoque est in Gallia Regula & huic consona praxis, quod abusus semel formatus nequeat ulli temporis prescriptione purgari.

XXXVIII. Eadem ratione dicunt Pragmatici Galliarum, quod lapsus fatalium hanc appellationem non reddat desertam...

XXXIX. Quin nec tres sententiae conformes semper has appellationes, ex sententia Gallorum, excludunt...

XL. Uterius cum in his appellationibus agatur de re ardua concernente interesse publicum, ideo ad Supremas Curias...

XLI. Appellatione tamquam ab abusu introducta & recepta, ligantur manus Judicis à quo, ejusque jurisdictione omnino suspenditur...

XLII. Verumtamen ne pretextu & Pallio harum appellationum Clerici uterentur ad subterfugiendam Praelatorum suorum disciplinam...

contre lesdites personnes Ecclesiastiques. Id est: Quod provocationes tanquam ab abusu à Presbyteris aliisque personis Ecclesiasticis interpositae in materia disciplinae & correctionis...

Id ipsum renovatum Edicto Molinensi anno 1571. a 59. nullam tamen factam mentionem actionis personalis.

Imo verò ex Edicto lato 1612. patet, à Concilii Provincialis Decretis, & Episcoporum mandatis, quae visitando Parochias dederunt, in iis quae officia Divina, disciplinam Ecclesiasticam, vel morum correctionem spectant, Curias Supremas sub titulo abusus provocari non posse.

XLIII. Similiter & Principes nostri nolentes, ut sub pretextu harum appellationum, aut alterius recursus ad tribunalia Laicalia, auctoritas Praelatorum in reformandis aut corrigendis moribus, & castigandis eorum defectibus, & vitiis impeditur...

XLIV. Et art. 15. inhibetur Concilio admittere ullas appellationes tamquam ab abusu interjectas per personas Religiosas, aut constitutas in sacris aut dare ullam aliam provisionem in materia correctionis, vel punitionis criminum...

XLV. Similiter in Hispania non admittitur recursus ad tribunalia Regia ubi agitur de correctione & punitione Religiosorum per suos Praelatos intra claustra Monasteriorum, quemadmodum scribit Salgado De Supplicatione ad Sanctissimum parte 2 c. 11. n. 104.

XLIV.

XLIV. Et art. 15. inhibetur Concilio admittere ullas appellationes tamquam ab abusu interjectas per personas Religiosas, aut constitutas in sacris aut dare ullam aliam provisionem in materia correctionis, vel punitionis criminum...

XLV. Similiter in Hispania non admittitur recursus ad tribunalia Regia ubi agitur de correctione & punitione Religiosorum per suos Praelatos intra claustra Monasteriorum...

XLVI. Adit tamen n. 105., quando inter eosdem Religiosos Regulares violentia aliqua vel illata est, vel timetur, tunc ob scandalum sedandum, & ad tollendum vim, & Senatus hic Supremus cognoscit de hujusmodi causis & juxta casuum qualitatem providet, ut sibi magis vitum est pro quiete Religionum Regularium, & ut scandalum evitetur, juxta dict. l. Regiam 49. quae Concilio huic Supremo privative ad alias Cancellarias reservavit harum causarum expeditionem...

XLVII. Hic recursus ad tribunalia Regia in casum violentiae vel oppressionis, item retentio litterarum Apostolicarum, tametsi alio nomine vocentur, & diversa nonnihil formula ad praxim deducantur, non abiiilem tamen effectum sortiuntur; & eisdem fundamentis inniuntur quibus appellationes ab abusu, uti ex Tractatibus Francisci Salgado De Supplicatione ad Sanctissimum & De Protectione Regia aliisque Pragmaticis Hispanis facile videri potest, & ostendit Fevretius De Abusu lib. 1. c. 3. n. 8. quemadmodum & remedium cassationis, & denegatio Placeti Regni, quibus in Belgio utimur, non multum ab iis distat: quibus omnibus Judices Regii ita moderatè uti debent, ut nec ipsi Episcoporum & Praelatorum in Ecclesiae regimine, nec in moribus & excessibus suorum subditorum corrigendis auctoritatem impediunt, aut suam in alienam mellem falcem immittant.

CAPUT V.

De Recusationibus Judicis.

- 1 Recusatio similis appellationi quoad effectum.
2 Quid recusatio Judicis.
3 Recusationis varia sunt causae, & sapienter ab arbitrio Judicis dependentes.
4 Recusatio proponenda est per libellum.
5 Index ob suspicionem non remouetur, nisi à Parte fuerit suspectus seu recusatus.
6 De jure causa suspicionis inferenda est libello.
7 Consonat & hodierna praxis.
8 An omnes causae suspicionis simul proponi debeant?
9 Index recusatus de jure Canonico non cognoscit de causa recusationis.
10 Ex dispositione Concilii Lateranensis eligendi arbitri qui de causa judicent, & quomodo hi eligendi?
11 Quare hi dicantur arbitri juris.
12 Arbitri hi more judicario procedunt, & ab ipsorum sententia appellari potest.
13 Judices arbitri terminum praefigere possunt intra quem procedant.

- 14 Recusari potest tam Judex Ordinarius quam Delegatus.
15 Nec tantum Judex, sed & Assessor, Commisarius, Graupharius simulque, recusari possunt.
16 In his recusandis levior causa sufficit, quam in recusatione Judicis.
17 Moribus hodiernis integrum Corpus Concilii aut Magistratus recusari nequit.
18 Singuli tamen recusari possunt; & causa à reliquis de Concilio aut Magistratu non recusatis examinatur.
19 Quod & in Curia Ecclesiasticis, ubi plures sunt Judices merito recipitur.
20 Si major pars Magistratus aut Senatus suspectetur, qua via inveniatur?
21 Recusatio proponenda ante omnem actum judicalem.
22 Potest etiam post litem contestatam proponi, si causa de novo emerit.
23 Potest & proponi si ignorata fuerit.
24 Quis sit effectus proposita recusationis.

I. Ubi eodem titulo Decretalium agitur de Appellationibus & Recusationibus; eo quod appellatio & recusatio in multis conveniant; praecipue quoad effectum suspendendi auctoritatem & jurisdictionem Judicis, uti communiter observant Doctores.

II. Recusatio itaque dicitur, Judicis causa suspicionis à Parte proposita declaratio.

Hic enim proprie recusatio accipitur pro declinatione five exceptione contra Judicem à Parte ex causa suspicionis proposita, quod in hac causa Judex non videatur satis indifferens; sed adversa Parti plus iusto addictus.

III. Cum autem suspicio haec ortiri queat ex variis causis, etiam variae ac multiplices sunt causae recusationis, quas late prosequitur Rebuffus in tractatu De Recusationibus art. 9. & post ipsum Nicolaus Tuldenus in notis ad Damhouderum in Praxi rerum civil. c. 125. aliq; ab ipsis citati; neq; in particulari omnino determinari possunt; & frequenter ex circumstantiis à Judice aestimandae sunt; nisi aliqua in Curiarum ordinationibus, vel specialibus statutis sint expressa.

IV. Recusatio autem proponenda est, non voce, sed scripto ad exemplum appellationis ab interlocutoria, quae in scriptis fieri debet. Cap. 1. De Appell. in 6. l. eoq; libello opus est, qui iudici exhibeatur, si praesens sit; si absens, l. fin. Cod. De Except. Et ita communiter teneri docet Rebuffus in dicto tractatu art. 5. n. 6. ut & respondit in quadam facti specie Wamelius Consil. 152. n. 5.

V. Quod & notat in commentario Cap. 16. De Appell. ubi & monet n. 11. numquam ipso jure propter suspicionem remoueri etiam suspectissimum Judicem, etiam ex speciali causa jure comprobata, si non quoque; ut suspectus recusatus sit; nec possit eo titulo sententia nullitatis argui.

VI. Similiter exemplo appellationis à sententia interlocutoria receptum est de Jure Canonico, causas recusationis esse inferendas libello recusationis, contra dispositionem Juris Civilis in L. APERTISSIMI Cod. De Indicis; quo jure sufficere videtur, si Recusans interposito juramento asserat, Judicem sibi esse suspectum.

VII. Juri Canonico, hac in parte, consentit praxis & stylus inferioris Germaniae regionum, per quem stylum suspicionis causae in scriptis allegari debent, ait Damhouderus in Praxi rerum civil. c. 125. n. 19. & plures ejusdem praxeos in Superiore Germania citat Tuldenus in notis ad dictum locum Damhouderi, dicitq; Rebuffus loco citato n. 15. quod semper causa specialis est exprimenda, nec sufficeret generalis expressio.

VIII. Quin & asserit Damhouderus ibidem n. 17. quod debeant omnes suspicionis causae simul proponi, & nequaquam hodie una & cras altera, nisi fortassis alia de novo ad recusantis notitiam live cognitionem provenient. Adde Wamelium citato Consil. 152. n. 12. Nescio an id per omnia praxi hodiernae consonet.

IX. Causa recusationis proposita, si Judex eam vel non sufficientem agnoscat, v. l. factum quod pro causa suspitionis & recusationis allegatur, fallum dicat, ne in propria causa Judex constitui videatur, non potest ipse de causa recusationis cognoscere; sed subsistere debet, & in causa ulterius non procedere.

X. Ex dispositione autem Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in Cap. 61. De Appell. eligi debent arbitri, qui de causa suspitionis sive recusationis cognoscant.

Vult autem Concilium, ut ipse (Recusans) cum adversario vel (si forte adversarius non habeat) cum Judice arbitros communiter eligat: aut si communiter convenire non possint, absque malitia ipse unum, & ille alium eligat, qui de suspitionis causa cognoscant, & si nequiverint in unam concordare sententiam, advocent tertium: ut quod duo ex ipsis decreverint, robur obineat firmitatis.

XI. Arbitri hi sic electi dicuntur arbitri juris ad distinctionem arbitratorum ex compromisso: id quod a Jure potius, quam a Partibus constitui videantur: quia ad eos eligendos, Partes a Jure quodammodo adiguntur: cum e contra compromissarii libera voluntate compromittentium eligantur; uti supra tit. 5. c. 4. dictum est.

XII. Itaque hi arbitri sic electi more judicario causam suspitionis & recusationis examinant, & super ea sententiam profertur, a qua, si pars condemnata se gravatam sentiat, non tantum reduci quemadmodum a laudo arbitri compromissarii; sed tamquam a sententia judicario more prolata, appellari potest: non secus atque ab alia quacumque sententia definitiva: atque hinc rursus via aperta, causas in immensum protrahendi.

XIII. Sed ne & ipsi arbitri causam protrahant, atque interim Judex procedere impediatur, statuit Innocentius IV. in Cap. 2. De Appell. in 6. ut ipsi arbitris per Judicem competens terminus praefigatur intra quem in idem convenient, vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo vel alter eorum, ejusdem suspitionis negotium terminare procurrent. Alioquin Judex ex tunc in principali negotio procedere non omittat.

XIV. Recusari autem potest Judex non tantum delegatus, sed & ordinarius, quemadmodum decisum est de Jure Canonico in Cap. 4. §. 3. & Can. 61. De Appellat. quod & moribus hodiernis receptum est: licet de Jure Civili quoad Judicem ordinatum non una sit Interpretum sententia.

XV. Nec tantum Judicem; sed & ejus Assessores, imo & Auditores, & etiam Commissarios & Adjunctos recusari posse notat Damhouderus citato c. 125. n. 13. additque Nicolaus Tuldenus in notis, etiam recusari posse Notarium, Graphiarium, Consultorem, & testium Examinatorem; idem asserit Rebuffus in Tractatu De Recusat. art. 9. n. 49.

XVI. Notatque ibidem Tuldenus ex Rebuffo n. 4. quod in recusatione Grapharii aut Notarii sufficiat levior causa, quam in recusatione Judicis; imo vel solum juramentum sine expressione alicujus specialis causae posse sufficere; quia non agitur de magno praedjudicio.

XVII. Moribus hodiernis totum Collegium sive Senatum recusari non posse receptum esse testantur Christianus vol.

2. Decis. 148. n. 15. & de Flandria Damhouderus citato c. 125. n. 9. & de praxi Hollandiae Merula lib. 4. tit. 4. c. 1. ac plurius citatis asserit Simon A Gronewegen ad L. APERTIS. SIMI Cod. De Judiciis.

XVIII. Singuli tamen ex Consiliariis & Judicibus tam Ordinariis, quam Delegatis ex Jure Canonici dispositione recusari possunt: ita tamen, ut causa suspitionis vel recusationis, non ab Arbitris Juris, sed ex stylo Belgii ab aliis de Collegio, ubi suspectus sedet, examinari debeant.

XIX. Haec expeditio via est, recusationis causas expediendi unde & merito in foro Ecclesiastico recipienda, ubi tribunal Ecclesiasticum a plurius judiciis constituta; quale est tribunal nostrum Academicum quing. judicum appellatum, cujus mentio facta est supra c. 2. resolutumque est per Universitatem non ita pridem, quod, si unus horum iudicum recusetur, causa recusationis, non ab Arbitris, sed reliquis judiciis non suspectis sint examinanda & terminanda.

XX. Si autem ex Senatoribus vel Judicibus plures suspectentur seu recusetur, tunc subinde recusationis cognitio ad iudicem superiorem spectat, aut subinde a Principe alii non suspectis judiciis adiunguntur, eisque hujus causae cognitio atque decisio injungitur. Vide Simonem a Gronewegen ad L. APERTISSIMI Cod. De Judiciis, & Damhouderum in Praxi Rerum Civil. c. 125. n. 10. §. 11.

XXI. Recusatio tamquam species exceptionis dilatoriae, & declinatoriae fori, debet non tantum ante litem contestatam; sed & omnem actum judicalem proponi; ne alias in iudicem consentiri, & suspitionis seu recusationis causa non curari videatur. L. fin. Cod. De Except. Unde Actori non permittitur recusatio iudicis, quem ipse ultrò adit, & ad quem Reum pertraxit; uti rectè notavit Wamelius Consil. 152. n. 6.

XXII. Si tamen causa recusationis post litem contestatam de novo emergerit, poterit Judex ex hac causa recusari Cap. 24. De Off. Jud. Deleg. & Cap. 4. De Except. Neque litem contestando, censeri potest recusationi sive suspitioni renuntiasse, cujus causa tempore litis contestatae nondum nata erat.

XXIII. Quin etsi ante litem contestatam causa recusationis revera jam subisset, poterit nihilominus proponi, si, si qui voluerit eam proponere, fidem faciat juramento postmodum ad illius notitiam pervenisse; uti loquitur Pontifex in citato C. 4. An etiam post causam conclusam liceat sub praetextu de novo emergentis causae, vel ejus ignorantiae iudicem recusare. Vide Wamelium citato Consil. 152. n. 7.

XXIV. Proposita legitime & servato juris ordine ipsa recusatione, suspenditur jurisdictio & auctoritas iudicis; teneturque pendente causa recusationis iudex super sedere: veriusque est, acta a iudice pendente recusatione, non tantum esse revocanda, probata causa recusationis; sed esse ipso jure nulla; tametsi postmodum declararetur recusationis causam fuisse insufficientem, causaque ad iudicem recusatum fuerit remissa; idque exemplo appellationis, cui hac in parte recusatio aequiparari solet. Vide Vallensem in Paratitulis Decretalium ad tit. De appellat. §. 19. n. 4. §. 5.

9 Suspicionem ingerunt Iudices qui passim omnes poenas convertunt in pecuniarias.

10 Vehementer suspecti sunt qui de ipsis participant.

11 Synodus Tridentina vult poenas pecuniarias applicari pios locis.

12 Noluit Synodus ea directe vel indirecte Episcopis applicari.

13 Nec piis locis si haec applicatio aliquo modo cedat in modum Episcopi.

14 Decretum S. Caroli in hac applicatione.

15 In Gallia debet exprimi in sententia pius usus in quem multa pecuniaria sit applicanda.

16 Idipsum cautum est Edicto Principum nostrorum.

17 Inter poenitentias iam pridem fuit reclusio in Monasterio.

18 Hujus meminit Synodus Agathensis.

19 Similiter S. Gregorius & Decretales Gregorii IX.

20 Hodie etiam inter poenas Ecclesiasticas computatur.

21 Rebelles & majori crimini ei includendi carceribus.

22 In Claustro Canonorum olim erant carceres.

23 Clericos criminosos posse arctae custodiae deputari respondit Innocentius III.

24 Carcer perpetuus de Jure Canonico in poenam constitui potest.

25 Id & hodierna praxi consonat.

26 In Clericis in carcerandis qua attendenda?

27 Clerici per Iudices Ecclesiasticos non sunt communibus carceribus mancipandi; sed Episcopalis.

28 Variis ex causis olim Poenitentibus imponebatur recessus ex propria patria.

29 Subdiaconum calumniatorem mandat S. Gregorius in exilium deportari.

30 Hinc concludunt Canonista inter poenas Ecclesiasticas esse deportationem in exilium.

31 Nec Sanctus Gregorius nec antiqui Canones videntur loqui de propria delecta deportatione in exilium.

32 Uti nec S. Ivo Carnotensis.

33 Deportatio in exilium videtur ad Sacularem potius, quam Ecclesiasticam Potestatem spectare.

34 Idipsum & Decretales Pontificum supponunt.

35 Hinc deducunt Pragmatici Iudici Ecclesiastico fas non esse aliquem in exilium relegare.

36 Fas tamen est Episcopos Clericos externos ad suas proprias Dioeceses remittere.

37 Quam & obligare cura relegationem criminosos ad recessum e Dioecesi.

38 Poenitentiae corporis afflictio olim Poenitentibus imponi consuevit.

39 Poenam flagellationis ab Episcopis impostam testantur SS. Augustinus & Gregorius.

40 Hac flagellatio apparet fuisse ad instar paternae dumtaxat correctivae.

41 Cavendum erat Episcopis ne adhibendo hanc poenam facerent contra preceptum Apostoli, non percussorem.

42 Vetitum esse Episcopis cedere aliquem propriis manibus asserunt Canonista.

43 Cavendum praeterea erat, ne poena hac transiret in vindictam sanguinis.

44 Poena publica fustigationis a foro Ecclesiastico passim recessit.

45 Si Clericus ob atrox crimen sit afficiendus poena sanguinis, tradendus erit Potestati Saculari.

46 Prinsquam Potestati Saculari puniendus tradatur Clericus a gradu suo deponendus seu degradandus est.

47 Id fieri voluit Iustinianus.

48 Causa depositionis solebat primitus in Synodo Episcoporum tractari, praesertim in secunda instantia.

49 Ob defectum Synodorum permissum fuit causam examinari a certo numero Episcoporum.

50 Episcopi omnes interveniebant ad Iudices causa.

51 Canones de omni depositione loquuntur.

52 Canones certum numerum praesigentes qui de causa depositionis iudicarent, a Canonistis intellecti de prima instantia.

53 Quomodo numerus Episcoporum Canonibus expressus tandem in sola degradatione actuali fuerit requisitus.

54 De requisita tot Episcoporum assistentia in Sacerdotum degradatione querela Principum Germaniae.

55 Synodus Tridentina permittit degradationem, assistentibus Abbatibus, aut personis in dignitate constitutis.

56 In degradatione Clericis insignibus Clericalibus exnendus.

57 Quomodo vestibus Clericalibus exnatur.

58 Quam formam verborum utatur Episcopus degradator?

59 Degradatum Episcopus denuntiat privilegium Clericalibus privatim, & foro Saculari subiectum.

60 Episcopus pro degradato intercedit, ne poena sanguinis afficiatur.

61 Degradatio de jure & ex praescripto Pontificalis etiam faciendae est simplicibus Clericis.

62 Sed hodie in desuetudinem abiit.

63 Degradatio Clericorum in sacris constitutorum anno 1571. Edicto Regio in Gallia stabilita.

64 Minus tamen hodie videtur ibidem observari.

65 In Belgio Sacerdotes poena sanguinis a Iudice Saculari non afficiuntur sine previa degradatione.

Ne ubi tamen est, penes Ecclesiam semper fuisse auctoritatem imponendi poenas sive poenitentias pro qualitate criminum & conditione poenitentium, quibus & ipsi poenitentibus Deo pro commissis peccatis quasi strano quodam coereantur, cautioresque & vigilantiores in futurum reddantur; ipsique vulneribus per peccatum inflictis medeatur, nec non publico scandalo, si peccata publica sint, satisfiat.

II. Sicuti autem primitus Ecclesia ejusque Ministri adversus sceleratos & peccatores non procedebant, nisi cum respectu ad forum poenitentiae, ipsamque forum internum seu poenitentiale non esset plane a foro externo & forensi separatum, uti supra tit. 4. c. 1. notavimus, sic nec poenas Ecclesiae ejusque Ministri infligebant, nisi cum quodam respectu ad forum poenitentiale; ut proinde undecim circiter saeculis poenae Ecclesiasticae potius habuerint rationem poenitentiarum, quam poenarum; quemadmodum totis illis saeculis, forma procedendi Ecclesiae adversus criminosos, magis ad ipsum tribunal poenitentiae, quam ad forense & judiciale referebatur.

III. Cum autem circa saeculum 12. forum externum & judiciale separari cepit a foro interno & poenitentiale; illudque exerceri ad normam iudicii forensis & saecularis, ceperunt quoque illa, quae pridem ad correctionem dumtaxat & in poenitentiam pro delictis ab Episcopis & Sacerdotibus fuerant injuncta, eisdem in foro judiciali ad modum iudicii forensis per modum poenae ad vindictam publicam per sententiam imponi, & per Ministros publicos iustitiae forensis iudici, seu executioni mandari.

IV. Quemadmodum autem disciplina circa punitionem criminum multum mutata fuit quando forum externum & judiciale a foro interno & poenitentiale fuit sejunctum; ita quoque tunc ipsa disciplina circa impositionem poenarum non parum mutari cepit, quemadmodum in decursu apparebit.

V. Cum Scriptura nos doceat, efficacissimum remedium esse ad placandam Dei offensam & eluenda peccata, elemosynas in sinus pauperum effundere, juxta illud a Daniele datum consilium Nabuchodonosor Regi: Peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordius pauperum Daniel. 4. v. 24. Et tunc in Ecclesiastico c. 3. v. 33. Ignem ardentem extinguit aqua & elemosyna restituit peccato, utilitissimum semper fuit in Ecclesia, ut poenitentibus in remedium suorum peccatorum elemosynarum elargitio pro modo facultatum a Sacerdotibus imponeretur.

VI. Postquam autem forum externum & forense a foro interno & poenitentiale separatum fuit, elemosynarum haec elargitio, quae in poenitentiam ad expurgationem & satisfactionem criminum imponi consueverat, cepit ab ipsis Officialibus.

TITULUS XI. De Poenis & Censuris Ecclesiasticis.

CAPUT I. De Poenis Ecclesiasticis.

- 1 Semper in Ecclesia fuit auctoritas imponendi criminosis pro qualitate criminum & conditione personarum convenientes poenitentias.
- 2 Quamdiu forum externum non fuit separatum ab interno, etiam poena imposita fuisse cum respectu ad forum internum.

- 3 Postmodum Poenitentia imposita pro foro interno, ceperunt per modum poenae decerni in foro externo.
- 4 Disciplina circa impositionem poenarum successu temporis mutata fuit.
- 5 Elemosyna frequenter iam pridem in poenitentiam assignata.
- 6 Hinc in forum Ecclesiasticum introducta poena pecuniaria.
- 7 Harum poenarum frequens mentio in Decretalibus.
- 8 In imponendis his poenis cavenda est suspicio turpis quaestus.